





JACOBI FACCIOLATI

Oratio



Pro funere Aloysii Pisani
Ducis Venetiarum

IV. Non. Jul. CIↃIↃCCXXXXI. celebrato

Cum Auctoris ejusdem palinodia, & Typographi Ven. confessione.

Accedunt postremo Dialogi VI.

Altera editio amplior, & accuratior.



CUM PRIVILEGIO.

Vade, liber, felix, felixque revertere; vade
Solus, fæcunda prole sequente, redi.
Vade, miser jactate nimis terraque marique:
Perfer; te expectant Patria, Sponsa, Proci.

Typographus ad Lectorem.



Nihil tam minutum Jacobi Facciolati *nomine inscriptum prodit, quod non plurimi hic etiam fiat, & avidissime a nostris eruditis hominibus arripiatur. Prodiit nuper Venetiis ejusdem Oratio pro funere Aloysii Pisani Ducis Venetiarum, Jo. Baptistæ Albritii typis impressa; vixque lucem adspexit, cum in tenebris delitescere nescio quo fato coacta fuit. Fama rei late pervaserat, ejus-*

que operis nec opinata calamitas fecit homines (quæ conditio rerum omnium eſt, ſi interdicantur) cupidiores. Sed quo avidius oratio poſcebatur, eo tegebatur occultius; ut docti omnes angerentur miſere. Fit interim, ut ejuſdem exemplar unicum, idque invidiæ, ut ajebant, unguibus vix ereptum mihi recudendum traderetur. Hem (continuo mecum) exquiſitæ litteraturæ ſtudioſos homines: bene habet: hic etiam lepidos bolos guſtant. Itaque gaviſus ſum.

ſum. Ubi vero palinodiam quamdam orationi adiectam; ubi Dialogos etiam aliquot feſtiviſſimos vidi, quantopere animo tum geſtirem, incredibile dictu eſt. Viſus prope mihi ſum ſurreptam gemmam cum theſauro commutare. Et vero eodem te loco editionem hanc poſiturum ſpero, ubi vel primoribus eam labris deguſtaris. Meum interim publici boni juvandi ſtudium æqui conſule, & vale.

 JO.

JO. BAPTISTA ALBRITIUS

TYPOGRAPHUS VENETUS

Ad Lectorem.

S *Uperiorum dierum Orationem in funere habitam* Aloysii Pisani *Venetiarum Ducis edidi alieno jussu; hanc edo sponte* (1) *mea. Ipse enim*

 quo-

Idem Typographus ad Lectorem eumdem.

S*Crupulus, amice Lector, me male vexat. Videor hic loqui ego; sed lingua loquor & animo alieno, hoc est auctoris ipsius, qui orationem scripsit. Conscientia itaque, & fide publica compulsus mendacia detegere statui, suisque singula numeris indicare.*

(1) *Neutiquam* sponte, *sed Auctoris ipsius philautia, & invidia adactus.*

quoque tanti Principis memoriæ pro virili parte consulere debeo, qui in eo fastigio cum esset, unde nihil cerneret supra se, ad nos usque identidem descendebat, omnemque hominum conditionem, modo honestam, incredibili indulgentia complectebatur. Si nihil quæritur, nisi laus, satis superque more (2) *& consuetudine* Alo-

(2) *Perstringit hic Facciolatus Hieronymum Lombardum e S. J. superioris orationis auctorem.* More *enim* & consuetudine *intelligit* pingui minerva. *Sed eadem opera se ipsum notat. Nihil enim in hac ipsa oratione præter morem & consuetudinem ipse quidem video.*

Aloysius *laudatus fuit : at mihi illud* (3) *in primis curæ est, ut ejus forma & imago, quæ in hac Oratione veris* (4) *coloribus exprimitur, late* (5) *propagata, cognoscatur atque exstet. Cur habita* (6) *non sit,*

 quid

(3) *Ne per somnium quidem id venit mihi in mentem.*

(4) *Sibi belle blanditur homo levissimus. At id eo pacto verum est, quo tabulas novit colorare.*

(5) *Vereor, ut lacu nostro egrediatur.*

(6) *Habita, ut ego quidem puto, non est; quia nemini venit in mentem ejus hominis opera uti in re tam seria. Utinam ne edita quidem meis typis esset, quæ me nimis credulum tantum non in carcerem compegit.*

quid opus eſt dicere? Multa accidunt (7) *in rerum humanarum curſu, quorum fructus jucundior eſt, ſi cauſſæ ignorentur. Fortaſſe qui illam ſcripſit non* (8) *eo ſpectavit, ut oculorum judicio ſubjiceretur; ſed multi putant, iſtiuſmodi lucubrationes, in quibus natura*

ſenſus

---

(7) *Arcana crepat. Non in rerum humanarum, ſed in earum rerum curſu fructus hic ponendus erat, de quibus dictum olim eſt:* nos quoque poma natamus.

(8) *Hoc vero mendacium eſt mendaciſſimum. Quid enim ille vel nugaciſſimum prælo non committit?*

ſenſus apparere debet, ex tempore (9), quam a cura feliciores eſſe. Mihi (10) ſive ipſa merito ſuo, ſive alia de cauſſa probetur, perinde erit. Vale.

---

(9) *Nititur hìc bonus homo ſuam obtrudere ſcribendi ex tempore felicitatem. Ne credas: anno ut minimum ante hoc in molimine laboravit. Providus homo eſt.*

(10) *Hìc unice apparet veritas, atque exſtat. Mihi enim, quocumque tandem evaſura res ſit, nihil aliud aut eſt, aut fuit unquam curæ, præter lucellum. Ita nos Typographi comparati ſumus omnes.*

ORATIO.

LAtendi (1) consilium, quod Superis (2) bene faventibus anno superiore ceperam, numquam sane deposuissem, nisi acerbissimus casus,

---

Facciolatus in orationem suam.

Ipse etiam Typographi exemplo conscientia cogor palinodiam canere, & quæcumque aut falso, aut inepte, aut imprudenter deliqui abjurare. Id me ad expressam ingenii indolisque meæ imaginem religiosissime præstiturum spondeo.

(1) *Primum verbum primum mendacium. Non solum enim nullum unquam latendi consilium cepi, sed ibi maxime prodire soleo, ubi maxime latere debeo. Hic certe nulla omnino caussa erat, cur prodirem. Ita factus sum.*

(2) *Supremis videlicet nostræ Academiæ Moderatoribus mea quadam fraude deceptis.*

caſus, qui nec opinato civitatem perculit & afflixit, me quoque (3) excitaſſet, communemque calamitatem fletu & lamentatione proſequi coegiſſet. Obiit Dux & caput Venetiarum Aloyſius Piſanus, quod bonis omnibus debet eſſe grave: atque ita obiit, ut quaſi Romulus alter ex oculis ſpectantium repente ſublatus, mentes homi-

(3) *Hæc ad gratiam dicta. Ceterum requieſcat in pace Aloyſius Piſanus: quid ad me? Oratoris artem ſpectavi, non pietatis officium.*

minum ſtupore quodam defixas reliquerit. Dii meliora! (4). Vix depulſo terrore illo, quem nobis repentina intulit Patriarchæ Corrarii mors, ſtatim ſuccedit alter, & caſus celeritate, & mole rerum aliarum ſuper alias decidentium longe atrociſſimus: ut nemo mirari debeat, ſi inter ipſa civitatis gaudia pro rerum viciſſitudine conſecuta, adhuc homines ſilentio

(4) *Subaudi* mihi. *Sublato nimirum Piſani patrocinio, meliora mihi Deos rogo.*

tio (5) hærent, prima illa cura, & cogitatione ſuſpenſi. Cum autem in magnorum virorum funeribus recte inſtitutum ſit, ut eorum facta ad animi ſolatium ex edito loco celebrentur; in præſenti ne id quidem ſperari poteſt. Nam quæcumque (6) Aloyſius fecit tum in

pri-

---

(5) *Imprudenter nimium lapſus hic ſum. Dum obſequor Piſano, Grimanum offendo. Væ mihi, ſi Reviſores legebant. Sed eos conſulere Typographus meus non admodum ſolet.*

(6) *Hæc de more & conſuetudine artis. Quod enim hic de Piſano dico, poteſt idem magnis quibuſque viris accommodari; qui magni ſane non eſſent, niſi aut benefactis, aut virtutum exemplo, dum viverent, benemeriti de humana ſocietate fuiſſent. Non ſolus itaque Lombardus more & conſuetudine Piſanum laudavit.*

primo illo privatæ vitæ genere, tum in altero hoc publicis insignibus titulisque ornato, cum omnia ad benemerendum de humana societate firmo quodam animi proposito constantique retulerit, quommodo ego vos amissa bona commemorando solari potero? Non sum nescius, præsidia quædam ab eloquentia peti solere, quibus rerum formæ coloresque mutentur: at horum præsidiorum copia mihi quidem pæne

nulla

nulla (7) relicta est, qui per annos admodum sexdecim longe aliis exercitationibus occupatus, nihil aliud quæsivi (8) quam quomodo rerum veritas, quolibet sive fuco, sive ornamento spoliata,

in

(7) *Dixissem melius* nulla unquam fuit. *Nam præter voculas latinas quasdam (si vere fatendum est) solidum præsidium nullum habeo.*

(8) *Quæsivi quidem veritatem ejusmodi, sed nunquam inveni. Ceterum tute intelligis, Lector, dolosam hic sententiam latere. Si enim iccirco nullum mihi præsidium ad dicendum relictum est, quod in sinceræ hactenus veritatis inquisitione occupatus fuerim; ergo ab hac oratione veritatem excludo, & quæcumque de Pisano dicturus sum, fucata sunt, fallacia, falsa. Hoc maxime verborum joco delector.*

in aperto poneretur, hominumque ſtudia ipſa per ſe alliceret. Ergo qui (9) mihi id oneris impoſuerunt, magis quid vellent (10) ipſi, quam quid ego poſſem, æſtimarunt; vel ſi hoc ipſum æſtimarunt, hominem quæſierunt, qui cum induſtriæ vires omnes laudando contenderet, idem tamen fidem (11) & pudorem retine-

(9) *Hic etiam mentior. Nemo enim gentium id mihi mandavit; gloriola unice, & invidia impulit.*

(10) *Id nimirum, arbitror, volebant omnes, ut tacerem.*

(11) *Hoc revera de me qui me norunt ne ſuſpicari quidem poterant. Fidem enim & pudorem ne de facie quidem novi.*

neret. Sed illud quoque fortaſſe ſpectarunt, ut cum in ceteris funeribus Oratores adhibeantur, qui præficarum (12) more ad vanam quamdam doloris ſpeciem querelas e medio ſumant, ſciteque jactent; is Aloyſii funus dicendo ornaret, qui multis officiis obſtrictus ex animo (13) loque-

(12) *Livor hìc latet. Carpere mens fuit Lombardum, ſed injuria. Acuratius enim ille (ut vel invitus verum fatear) ſerioque magis multo, quam ego, rem egit.*

(13) *Quantam mihi ipſe,* Dii *boni, vim adbibui, cum ſcripſi* ex animo! *Abjuro verbum: loqui ex animo numquam didici.*

queretur, concionemque ipſam veri doloris explicatione commoveret. Et vero ſi quæ animo complector, aſſequi verbis potero, ſimul illud efficiam, ut intelligatis, me non tempori (14) ſervire, ſed perſonæ: ſin minus, efficiam tamen hoc ipſo, ut quæ non (15) dixero, qualia & quanta ſint, cognoſcatis. (16)

B 2

(14) *Hic vero verax ſum. Non* tempori *ſervio, quia tempus cantilenæ huic meæ præſtitutum nuſquam fuit. Servio* perſonæ, *hoc eſt mihi ipſi.*

(15) *Utinam ne hæc quidem dixiſſem, quæ non*

non vocatus dixi : non cantilenam nunc recantarem.

(16) *Illud certe, ut arbitror, jam cognoscis, me potiorem hujusce prologi partem occupare, meæque magis, quam propositæ caussæ consuluisse. Ita soleo.*

Pisana domus (17), cujus origo in ipsa civitatis hujus antiquitate latet, eum in Rep. cursum perpetuo tenuit, ut vel in summa opum ac dignitatum copia careret invidia. Ac si quis ex

---

(17) *Abruptam, gracilem, junceam narratiunculam audies. Ne tribuas arti pathetica, quæ negligentiam tantam minime postulat, sed necessitati: quomodo enim meliorem texerem, non habui. Quanto me acuratior, graviorque Lombardus!*

ex illa in hujusmodi instituto recte feliciterque permansit, is certe Aloysius fuit, cui ad honores ac divitias, quantum ordinis & loci natura patitur, cum fere nihil deesset, ipsa se quoque hominum benevolentia, & communis quædam animorum propensio comitem adjunxit. Neque enim propinqui solum & amici, sed populus omnis, atque adeo illi ipsi, qui ne de facie quidem hominem nossent, nomini ejus mirifi-

ce favebant; ægre admodum ferentes, ſiquis forte (18) utcumque de patria meritus, in contentionem veniret aliquam, & cum illo dignitates peteret. Itaque nihil illi in hoc ambitioni curſu (19) diſ-

(18) *Cum maxime caruiſſe invidia Aloyſium contendo, tum maxime invidioſa memoro; illud nempe, ægre tuliſſe populum Piſani competitores; quaſi vero nemini populus, præter Piſanum, faveret. O me imprudentem!*

(19) *Exiguam ſane laudem Piſano tribuo, cum familiæ decus, divitias, populi favorem facile illum ad honores evexiſſe contendo. Totum hoc fortunæ meritum eſt, non virtutis. Id nimirum ex me ipſo æſtimavi, qui famam nominis, quanta quanta eſt, fortunæ debeo, non merito meo. Diſpeream, ſi in hoc mentior.*

difficile fuit, nihil non expeditum. In ipſo juventutis flore ad conſultandum de Reip. Sapientum Collegio adſcriptus eſt, cum fuiſſet annali lege ſolutus ob patrui Laurentii merita Cretico bello ſublati. Atque in illo quidem graviſſimo Conſilio ita ſe geſſit, tantamque ſui ſpem excitavit, ut ad Gallicam legationem, ubi primum licuit, delectus ſit. Iter ejus adhuc eſt in ore hominum, inſtitutum comitatu ingenti, præmiſſis ad prin-

cipes urbes, qui laute exciperent advenientem, effusis in hospitia cuncta & diversoria regio more pecuniis, quæsitis opera omni benigne faciendi occasionibus. Per hæc Lutetiam cum venisset, in Aulam totius orbis splendidissimam, ipsi per vos cogitare animo & conjicere potestis, qua rerum omnium apparatione, quam copiosa, quam inusitata legationem instruxerit. Illud certo constat, ipsum Regem

Lu-

Ludovicum XIV. & nomine magnum, & ad magna omnia natura factum, non ſine admiratione aliqua tantum privatæ fortunæ ſplendorem adſpexiſſe. Valuit (20) hoc ad gratiam & benevolentiam, & quod conſequitur, ad eam gerendi negotii rationem valuit, quæ ſine benevolentia ejus, quicum agitur, multis eſt difficultatibus impedita. In-

(20) *Valet hic ad invidiam. Obſum, dum prodeſſe nimium Piſano ſtudeo.*

Incidit (21) enim in tempora valde aſpera, primo quidem cum de Hiſpanica ſucceſſione, vivente adhuc Hiſpaniæ Rege, agitari cœptum eſt, intentis in curam hanc Principibus cunctis, aliis cauſſa alia: deinde vero cum, illo mortuo, Italia bello flagravit; noſque in terris noſtris ingentes exercitus, amicos illos quidem, ſed tamen exercitus, ha-

(21) *Væ ni ephemerides in manibus quotidie haberem. Eas nimirum ad Legationem hanc deſcribendam facile compilavi.*

habere atque alere coacti (22) fuimus. In tanto rerum motu quanta prudentia opus esset agenti cum Rege illo, qui unus omnia miscebat; quilibet vestrum facile intelligit. Ea fuit Ludovici natura atque indoles, ut audendum in loco crederet, & fortunæ fidendum, quæ nimiis consultationibus (23) fatigatur: cum ex ad-

(22) *Præcipua hæc, ut audio, caussa fuit, cur in tenebras mea isthæc lucubratio repente compingeretur.* Mea maxima culpa.

(23) *Politicum hic etiam ago, meo tamen ingenti periculo. Notare his verbis in animo habui lon-*

adverſo Reip. ratio poſcat, ut nihil fiat niſi conſulto, nullaque conditione committatur, ut liberæ civitatis homines ad incerta caſuum trepidare debeant. Quapropter Regis conſilia cum laudarentur officii cauſſa, reſiſtere tamen periculoſa proponenti oportebat, atque ita moderari reſ-

---

longas nimium Reip. conſultationes; neque quemquam futurum putabam, qui abditam callide ſententiam pervideret. Sed neſcio quo fato familiaris quidam meus detexit fraudem, remque plane intellexit. Itaque antequam ille perfluat (plenus enim rimarum eſt) doloſam ultro abjuro dicacitatem.

refponfa, ut & cauffam fuam probari crederet, nec tamen in illam poffe defcendi. Attamen Rex, ut erat fummo (24) ingenio, fummaque prudentia præditus, non folum non querebatur, fed quoties opus effet, Pifanum libenter audiebat, complexufque favore omni, credi mallebat, fe homini tribuere, quod tempori dabat

(24) *Inepte nefcio quo pacto irrepfit* fummo ingenio. *Quid enim opus erat* ingenio, *ne Rex quereretur! Dele igitur mendum, & fubftitue quod aptius videbitur.*

bat. Abſoluta legatione, quæ jam quinquennium exceſſerat, diſcedendum fuit: quo tempore maxime apparuit, quantus eſſet erga Aloyſium non Regis modo, ſed Aulæ totius, atque adeo civitatis amor, collatis in illum undique officiis, donis ultra morem & exempla liberaliter datis, votis (25) etiam pro ejus itinere, tantum non publice, ſuſceptis.

In

(25) *Id unum deerat, ut precularum ſpecies ſingulas recenſerem, quas recitare piæ mulierculæ ſolent. Ita nimirum ſoleo identidem ineptire.*

In patriam cum rediiſſet, Sexvir publicis regendis conſiliis creatus, ſingulari quadam innocentia, fide, integritate Remp. adminiſtravit; eamque de ſe omnibus opinionem indidit, ut locum hunc tam celſum non alia de cauſſa quærere crederetur, ſi modo (26) quæſivit umquam, niſi ut multis benefaceret. Itaque nemo unus in-

(26) *Cum quærere, hoc eſt petere dignitates unicuique honeſte liceat, nihil opus erat correctione illa* ſi modo &c. *Suſpicionem movere videor, ne in dignitatibus quærendis vel fraus, vel probrum locum habeat. Ita nimirum habet: ſententiarum figuris aut careo prorſus, aut omnino abutor.*

inventus est neque ætate nostra, neque superioribus, qui tanta illum civitatis approbatione, tamdiuque tenuerit, donec ad summum evectus est. Inter hæc (27) jactatis Europæ rebus, cum Britannici regni possessio ad Annam venisset, Legatus extra ordinem ad gratulandum missus est, una cum Equite Nicolao Eritio magni nominis Senatore. Quid quæritis? Cum res tota ad digni-

ta-

(27) *Redeo ad ephemerides.*

tatem & pompam referretur, nec ignoraret Aloysius, hac ipsa de caussa munus hoc sumtuosum & grave sibi (28) potissimum fuisse delatum; quibuscumque rebus potuit, efficere conatus est, planeque effecit, instituto per Germaniam itinere, ut Veneti Senatus majestatem circumferre videretur. Ubi vero Londini fuit,

(28) *Eritium hic nonnihil mordeo, quasi Pisani non comitem, sed ministrum, minusque parem legationis oneri sustinendo. Sed sublatus jam & ipse est: impune uti me posse putavi libertate Decembri.*

ubi ſe Britannis oſtendit, ubi in conſpectu Reginæ ſtetit, ut officioſe pro Rep. faceret; quanto rerum omnium apparatu, quam ſplendido, quam magnifico uſus eſt! Magnopere vereor, ne quis exiſtimet, me ex communibus (29) locis laudes Aloyſio quærere: qui tamen illa ipſa cum faceret, quæ communia ſunt, pro animi ſui magnitudine ita faciebat, ut communia

(29) *Videlicet ex latrinis, per jocum ajebat familiaris meus: quod quidem a propoſito noſtro non abhorret admodum.*

nia esse desinerent, ejusque propria viderentur ac singularia. Hinc factum est, ut cum Carolus VI. Romanorum Imperator Mediolani esset, & Catholici Regis titulo urbem illam teneret, idem ad gratulationes & officia eligeretur; addito collega Andrea Legio D. Marci Procuratore, qui animo præditus æque magno, cuncta fieri vellet, quæ in tanta Italiæ luce Veneto digna nomine judicarentur.

Jam vero litteræ quoque (30) præsidium ab Aloysio sibi quærebant; litteræ, inquam, quæ si magnis patrociniis careant, cito contabescunt (31). Hunc igitur sibi patronum deposcebant, & rerum suarum moderatorem, qui honestatem & verecundiam amaret, vel-

let-

(30) *Mendacia repeto. Neque enim verisimile est, litteras ab eo præsidium quærere, quem paullo infra illiteratum voco. Adulari scilicet studeo, sed ne hoc quidem scite facio.*

(31) *Ego sane nisi magnos a prima usque ætate patronos habuissem, contabuissem jamdiu: sola nunc invidia contabesco.*

letque modeste (32) petentibus, vel etiam non petere ausis, jura sua tribui. Res ex voto cecidit. Nam Patavini Gymnasii cura & administratio ad illum delata est, hominem non dicam (33) litteratum

 (cur

(32) *Hoc quidem nomine jura ille numquam mea vindicavit. Numquam enim non fidenter, aut dolose quicquam petii.*

(33) *Hactenus opulentum & sumtuosum Pisanum feci, nunc illiteratum: restat ut Ethnicum, quid ni? ad extremum videris. Unum hic te moneo: ne mireris, si prudentem superius dixi, quem nunc appello illiteratum. Non necessario adhærent invicem doctrina, & prudentia. Habes in me ipso exemplum locupletissimum. Doctus enim, ut mihi videor, sum; neque tamen, ut videor omnibus, prudens.*

(cur enim illi bonis ſuis tam multis ornato tribuantur (34) aliena?) ſed tamen (35) nec illitteratum, & ad recte de litteris judicandum natura ipſa rerumque (36) uſu ſatis idoneum. Magiſtratu hoc tam gra-

(34) *Perperam voco* aliena, *quæ ubi acquiſita ſunt, noſtra proprie bona ſunt. Sed ea hìc animi ingeniique bona ſpectabam, quæ alieno quidem ſudore empta ſunt, ſed tanquam noſtra venditamus. Ab hac etiam fraude non omnino abhorreo.*

(35) *Hic ubi minime opus erat, fidem & veritatem retineo. Quanto melius ea præteriiſſem, quæ cum laude commemorari non poterant.*

(36) *Eo ſcilicet pacto, quo ego poſſum natura uſuque de pictura, ut ſoleo, judicare.*

gravi, quem majores noſtri inter primos eſſe voluerunt, iterum ac ſæpius defunctus, quantam ſibi exiſtimationem & benevolentiam apud ſingulos & univerſos, qui in hoc curriculo (27) ſumus, comparârit; cum multa declarant, tum in primis monumentum illud, quod ejus nomini in ipſo Gymnaſio communibus impenſis poſitum eſt ad me-

(37) *Uſus ſum perſona prima plurali, quod is me ſemper timor angit, ne quem forte lateat, me quoque eſſe pub. Profeſſorem in Gymnaſio Patavino; quamvis ab eo me munere furtim jam ſurripuerim.*

memoriam posterorum sempiternam. Nos, quod unum licuit, voluntatem erga illum nostram verbis testati sumus: at Resp. titulis & honoribus, quantoscumque capere civis potest, non dicam datis, sed effusis Aloysium ornavit, auxit, cumulavit. Nam cum Eques jam esset, qui fructus communis legationum est, eosque magistratus teneret, quos modo memoravi, ipsa quoque D. Marci Procuratio, dignitas in civitate maxima, & uno

Prin-

Principatu minor, incredibili civium consensu populique studio, ubi primum tulit occasio, adiecta illi est. Statim erecti omnes in gratulationes, & publicæ possessionis spectaculum: quod sane fuit ejusmodi, ludis (38), congiariis, totius urbis ornatu, ut neque tot annorum cursu, neque exemplorum similitudine ejus memoria deleri po-

(38) *Novum quid & inauditum minuta hæc enucleate describendo narrare videor. Ne credas: Procuratori cuilibet communia & usitata sunt. Sed cum sententiarum inopia laborarem, verborum saltem copia, & acervis narrationem producere conatus sum.*



potuerit. Fama rei late (39) pervaſerat, nihilque magis homines expectabant, quam ut vertentibus annis ſupremam in civitate ſedem Aloyſio fortuna præberet: fortuna, inquam, (40) quæ in hac una Reip. parte plurimum valet, & cum virtute

(39) *Quam late ſcilicet longeque patet Urbis ambitus.*

(40) *Quid tum mihi acciderit, cum hæc ſcriberem, prorſus neſcio. Iratus prope mihi videor, & Piſano. Mihi, quia Remp. ubicumque ſe ſe offert occaſio inique carpo: quaſi vero fortuna & caſu regatur illa, non conſilio; nullaque virtutis aut meriti ratio in dignitatibus conferendis habeatur. Piſano vero, quia data opera id ſatago inculcare, nulla illum re alia, quam fortuna præſtitiſſe. Inſaniebam tum profecto.*

tute meritiſque ita certat, ut interdum ſuperior ſit. Ventum igitur eſt ad interregnum. Meminiſtis, opinor, qui concurſus ad Piſanorum ædes ſtatim factus ſit, quantus univerſi populi favor, quæ voces, & quam inſolitæ animorum ſignificationes. Forte accidit, ut cum eo peteret Senator graviſſimus, ætate major, Carolus Ruzzinus, cui cum a virtute nihil deeſſet, ne fortuna quidem deeſſe voluit. Magnum repente con-

ſe

ſecutum eſt civitatis ſilentium ob ſummam hominis auctoritatem, quem ordines omnes ſuſpiciebant, & loco dignum ſine controverſia fatebantur. Verum fervente adhuc in Piſanos Patrum populique ſtudio, ipſa D. Marci Procuratio a Ruzzino depoſita ad Aloyſii fratrem Carolum Equitem translata eſt; quod uni accidit ex omni memoria, non petenti. Ego equidem quoties reputo tantum illum animorum

mo-

motum, de quo nec dici ſatis, neque fortaſſe cogitari poteſt; ſic exiſtimo, ſi illi ipſi, qui Remp. hanc conſtituerunt, patriæ parentes in hanc honoris contentionem cum Carolo veniſſent, repulſam (41) fuiſſe laturos. Nolim tamen exiſtimetis, impetu potius, quam conſilio factum, ut dignitas tanta Carolo tribueretur. Modus & tempus ad gratiam, qua ſummopere valet Piſanum nomen

(41) *Hæc eſt, ut verum fatear, hyperbolica nimium para ſitatio.*

men, referri debet; res ipſa ſtat jure ſuo. Cum enim vellent cives obtrectanti fortunæ reſiſtere, & deſiderio ſuo facere ſatis, quæſierunt aliquid, in quo ratio ſola & libertas valeret. Non eſt hic locus, ut de Caroli meritis dicam, quem a prima adoleſcentia in omnibus Reip. bellis fortuna virtuſque exercuit, ipſum quoque Principali faſtigio dignum, niſi maluiſſet fratri cedere. Interim Aloyſius animum revocavit, ſuamque repulſam

re-

recte, ut debuit, interpretatus, fratris honorem erectus & alacer excepit. Satis enim perſpiciebat, pro conſueto (42) naturæ curſu non ſibi negari, quod patierat, ſed differri, ut familiæ tituli dignitateſque augerentnr; & hoc ipſum in beneficii loco ponendum ſperabat, quod non ſtatim obtinuiſſet. Ita pror-

(42) *Hæc etiam non ſani admodum cerebri ſententia eſt. Naturæ nunc id tribuo, quod fortunæ prius dederam, hoc eſt neceſſarium facio quod erat fortuitum: vide quam parum mihi conſtem. Quod ſi perſpexit Piſanus, pro* conſueto naturæ curſu, *id eſt neceſſario differendum ſibi eſſe quod pe-*

prorſus evenit. Etenim extincto Ruzzino, quaſi jus ad rem prima illa petitione acquiſiviſſet, nemo præter illum inventus eſt, qui nomen ſuum profiteretur. Non deerant profecto, qui putarent, ſibi cauſſas eſſe profitendi, ſed noluerunt cum eo de dignitate certare, qui eſſet omnium ſine controverſia me-

tebat, ergo ſtulte petebat quod ſibi neceſſario negandum perſpiciebat. Deinde quid ſibi vult hic naturæ curſus? Habuit ne aliquid Piſanus cum planetarum periodis, aut viciſſitudine tempeſtatum commune? Tum ſane præſto apud me minime eram.

meritiſſimus (43). Hic vero ineptus (44) plane ſim, ſi putem poſſe me ſpeciem aliquam illorum dierum informare dicendo, quibus de novo eligendo Duce actum eſt, electuſque Aloyſius in populi conſpectum venit. Cum ordines omnes præter morem læti eſſent, plebs bacchari

D quo-

---

(43) *Scilicet verbo tantum* meritiſſimus; *nam re ipſa totum hactenus fortunæ meritum fuit. Putabam nimirum mihi quoque illud convenire* ipſe dixit; *ſatiſque eſſe, ſi dicerem quod probare neſciebam.*

(44) *Nunc demum, clamant omnes; times ne ineptus ſis? Tanto ergo magis ineptus. Quid ad hæc reſpondeam ubi palinodiam canere inſtitui?*

quodammodo & furere lætitia videbatur; viæ, fora, templa novo quodam genere plausus & acclamationibus personabant; cives civibus non tamquam de communi bono, sed de suo quisque, gratulabantur. Expectationem hanc tantam explere difficillimum erat: explevit Aloysius non per ludos modo & spectacula longe omnium pulcherrima & apparatissima, sed donis etiam, & honesto quolibet largitatis genere, pe-

petentibus, non petentibus oblatæ.

Negari profecto nequit, magnum aliquid in divitiis esse, quod homines capiat & in admirationem trahat : attamen sapientum judicio majores habentur, qui eas contemnunt, quam qui habent. Aloysio utrumque contigit & habere, & contemnere. Tantam hanc seu virtutem, seu felicitatem reliqua comitabantur animi bona, quæ quidem mortalis natura capit, & quæ qui habent, beati dicuntur; singu-

laris quædam ad optima quælibet suscipienda voluntas; ordo & constantia vitæ non ad legem modo, sed ad rationem compositæ; eximia rerum omnium diligentia etiam minimarum; exquisitum (45) & elegans in vestibus, in servis, ceteroque rei domesticæ apparatu judicium; summa in rebus contrahendis

(45) *Sapore scilicet gustuque recentiori* de le gran monde. *En animi bona, en virtutes, quas Christiani hominis funebrem laudationem texens, coram viris piissimis, sacro in loco recenseo. Meas nunc tandem ineptias video, cum ad me paulatim redeo.*

dis æquitas & facilitas; dictorum & factorum omnium pro ſua dignitate gravitas, & cum gravitate conjuncta moderatio; pietas (46) & religio nec privatim intermiſſa umquam, & publice ad exemplum ſplendide culta. Hæc ſcilicet homines movebant, ut Aloyſium magnopere admirarentur ac diligerent, ut hono-

D 3 res

(46) *Quod ſuperius innui, reſtare, ut de Piſani religione ſuſpicionem moveam, id hactenus præſtiti bona ex parte. Poſſunt enim quæcumque animi bona commemoravi etiam Ethnico convenire. Hic rurſus eam pietatem Piſano tribuo ſolum, quæ communis etiam Ethnicis eſt: quod ſcilicet Chriſtiana putabam virtutum officia a pura nimium latinitate abeſſe. o me dementem.*

res omnes illi delatos vellent, ut prodeunti ſine ſatietate acclamarent. Accedit, quod natura quoque ſuavitatem quamdam induxerat ori ejus, quæ aſpicientes ſtatim alliceret & ad benevolentiam conciliaret. Quid vero, ſi ſe tibi daret, ſi alloqueretur, ſi operam ſuam promitteret? Tum ſane non vultus dumtaxat, ſed ipſæ quoque cordis affectiones apparerebant: ut ſi nihil daret niſi verba (47) tamen ver-

(47) *Quamvis ea hujus loci ſententia ſit, ut* da-

verba ipſa, ex animo ducta minime tecto, pro factis acciperentur.

Sed quæret fortaſſe aliquis, numquid in tanto proſperitatis curſu Aloyſio contigerit, quo ſe hominem eſſe & humanis caſibus obnoxium reputaret. Eſt enim quiddam in ipſa quoque felicitate nimium; ſi humanam naturam

dare verba *importet* vocem edere, alloqui, *aut aliud hujuſmodi, fraudem tamen abjuro in verbis, quæ ſignificant* imponere. *Sive enim jocus ſit in ambiguo, ſive ſit dicterium (quod libenter ſæpe uſurpo) damno primum ut ineptum; ut turpe deteſtor alterum.*

& mortalitatem Christianis (48) momentis expendamus. Quin etiam contigere multa gravia & atrocia, eaque fere in ipso secundarum rerum articulo. Sed qui alienis calamitatibus ita commovebatur, ut eas aspiceret tanquam suas; idem in suis fortissimus erat. Nolo singulas commemorare, ne

(48) *Hic unice verbum excidit, quod Christianum sapit. At idipsum me potius, quam Aloysium Christianum prodit. Obiter enim tantum attingitur vox illa* Christianis, *quasique nihil ad Pisanum pertinens. Adeo quod erat in laudatione praecipuum neglexi.*

ne illam attingam mihi quoque acerbiſſimam, quæ Principatus initia contaminavit. Id unum dicam, quod omnibus notum eſt, & crebris ſermonibus per hoſce dies repetitum, vidiſſe illum non modo parentum ſuorum interitum, quod æqua naturæ lege comparatum modice ferri debet; ſed & uxoris, & fratrum, & filii, & nepotis, temporibus alieniſſimis: cumque ſuos omnes vehementer amaret, nullam tamen in tantis luctibus doloris

loris ſignificationem dediſſe, quæ modum excederet. Accidit, audiente me, ut honeſta lætitia exultanti luctus denunciaretur. At ille compoſito celeriter animo reſpondit, quidquid boni Deus dederit, eo loco ponendum eſſe, ut idem repetere, nobis non repugnantibus, ſtatim poſſit; ſe quidem nec extolli rebus proſperis, nec adverſis deprimi. Ceterum (49) ſi-

(49) *Quæ hactenus multo jam ante Piſani mortem diu elaborata ſepoſueram;* ceterum, *hoc eſt*

ſiquis inter ejus infortunia recenſet, quod repente ſublatus ſe mori non ſenſerit, is mihi de humanis rebus non recte judicare videtur. Hoc ego ipſum ad quemdam quaſi cumulum felicitatis refero, quod non morbo proſtratus & ſenſim confectus luctari cum natura debuerit; quod non fædam mortis ſpeciem ac terrificam aſpexerit

eſt quæ conſequuntur ad repentinum caſum pertinentia aliis verbis in Lombardo ipſo leges: niſi quod quæ ille initio dixit, ego in finem orationis transfero. Hoc ex capite amici ſumus.

xerit; quod propinquorum lectu-
lo adstantium lamentationes non
audierit; verbo dicam, quod vi-
tam cum vita commutarit. Cum
enim ille in hoc postremo quasi
actu, quo Principis personam sus-
tinuit, nullis ambitionibus dis-
tractus sibi uni vacarit, atque
ita vixerit, ut siquid humanitus
accideret, quotidie paratum inve-
niret; quid erat optandum ma-
gis, quam ut ejus animus, fractis
repente vinculis, momento tem-
poris

poris liberaretur? Quidquid eſt igitur in hac repentina morte calamitatis, non ad Aloyſium, ſed ad nos pertinet, coactos carere adiumentis, quæ adverſus mala ſumma paullatim ingruentia parari ſolent. Si ille febri correptus jacuiſſet dies aliquot, ac veluti per gradus veniſſet ad extrema; licuiſſet nobis inter ſpem metumque jactatis parare animos in partem utramque; licuiſſet haurire oculis aviditate ul-

ultima vultum ejus ; licuisset ad Superos abeunti supremum vale dicere , nosque illi ac nostra commendare : id quia non licuit , jure dolemus. Veruntamen quia dolemus de incommodo nostro, videndum est viris bonis & fortibus , ex hoc genere quantum liceat. Excitemus mentis vires ; & quod tempus est allaturum , consilio & prudentia prævertamus. Non probat ille certe dolorem nostrum in æter-

na

na animorum (50) quiete collocatus, qui dum viveret, ferre non poterat, quippiam alteri sua caussa molestum esse. Desiderio nostro delectari potest, mœrore non potest. Demus hoc Principis memoriæ de nobis meritissimi, ut nihil agamus, quod non sit ex voto ejus. Hac vos in primis cogitatione animum confir-

(50) *Ab Ethnicis etiam æterna animorum quies, ævum beatorum sempiternum admittebatur. Itaque nihil adhuc Christianorum proprium.*

firmate, Religiosissimi Patres (51); qui peculiari hoc officii genere Duci optimo parentare voluistis; factisque pro more sacris ad expiandas (52) minores culpas, quibus in tanta naturæ infirmitate nulli

(51) *Mures videlicet, ac blattas alloquor, quæ membranas hasce corrodent. Nibil enim mihi unquam rei fuit cum Religiosissimis Patribus, qui funeri Venetiis intererant; cum ego Patavii curarem cutem.*

(52) *Sacra & expiationes etiam apud Ethnicos locum habent. Igitur ne hìc quidem Christianus homo cognoscitur atque exstat: & tamen Christiano parentabam. Timui nempe (pudet dicere) ne Tullianus in dicendo minus haberer, si Catholicam Fidem nominassem, cujus numquam Tullius in scriptis suis mentionem fecisset.*

nulli fere mortalium carent, laudes ſupremo numini grateſque agite, quod vir tam bonus, tam integer, tam pius, humanæ vitæ laboribus ac periculis egregie functus in beatorum ſedes ſubito facilique tranſitu convolarit.

F I N I S.

Abſoluta nænia, ſingulisque erroribus abjuratis, reſtat, ut aliquid de tota oratione in univerſum dicam. Eam itaque duabus potiſſimum de cauſſis edidi. Prima fuit inſanabile, quo teneor, cacoethe promulgandi quæcumque effutio. Jamdiu lugubrem cantionem hanc. concinnaram ea ſpe ductus ac fiducia, mortuo Aloyſio, non ad alios, quam ad me veniendum, ut illi dicendo parentarem. Deceptus ea ſpe fui; neque aliorum modo,

 ſed

sed eorum etiam, quos minime voluissem, opera usi sunt. Quid facerem? magis magisque pruriebam in typos. Tandem jussus injussus opportune importune per fas per nefas orationem statui putei carcere liberare. Altera caussa fuit, ut Lombardo, qui suam in Ducis funere habitam orationem plures jam ante dies ediderat, gloriam quamlibet arriperem, aut saltem obscurarem. At id etiam aliter omnino accidit, ac putaram. Ille enim, sin minus eleganter, nihil certe non aptum, non prudens, non verum dixit; ac proinde laudatur passim, mihique longe præponitur. Ego contra multa falso, imprudenter plura, plurima inepte; ideoque non alia fruor laude, quam quæ bono Grammatico relinquitur, hoc est puræ nitidæque latinitatis. Vanæ scilicet levitatis, invidiæque pœnas merito Superi de me sumserunt; quos quidem ut aliqua ratione placem, hanc evulgo palinodiam, Typographos singulos & universos totius litterariæ reip. enixe obtestans, ne ab hac illam oratione mea sejunctam velint, siquando (Dii meliora) recudatur.

Quoniam vero ita in tota laudatione de Aloysio Pisano loquutus sum, ut iis tantum animi bonis ornatum prædicarim, quæ vel in Ethnicum cadere possunt, nullum vero attigerim eorum, quæ Christiani hominis Catholicam Fidem profitentis propria sunt; ut suspicio quævis tollatur in posterum,

rum, meque hac fide exſolvam, gentibus univerſis, aut ætatibus, quibuſcumque ignotum Piſanorum nomen fuerit, ratum facio, ſanEteque teſtor, Aloyſium Piſanum Ducem olim Venetiarum, cujus ego J. Facciolatus vitam geſtaque deſcripſi, Chriſtianum vere fuiſſe, & in Catholicæ Fidei Eccleſiæque gremio pie religioſeque obiiſſe. Ceterum non alium a poſteritate vigiliarum mearum quotidianarum fructum aut mercedem poſtulo, quam ut menda ſenectutis meæ & ignorantias meas ne meminerit. Vale.

FINIS ORATIONIS.



DIALOGI
SEX

I. Lucubratio Legitima, & Spuria.
II. Pallas, Lucubratio, Prælum, Mercurius.
III. Lucubratio, & Umbra.
IV. Charon, & Lucubratio.
V. Lucubratio, & Dialogus.
VI. Amasius, Lucubratio, Prælum.

Ad Dialogum I.

Præfatiuncula.

DIalogus hic natus fortuito eſt. Cum enim præcedenti orationi variæ hinc inde moræ interponerentur, ne Prælo traderetur, interſtitium ejuſmodi lucro appoſuit auctor; conceptumque interim antelucano mentis congreſſu fætum fovit calore diurno promovitque adeo, ut pipilans facile rupto ovo exilierit. Ita pluſculum aucta libelli moles, quæ magis magisque porro augebitur, quo tardius prodibit.

Ar-

MOrtuo Aloysio Pisano funebrem orationem de more habuit P. Hieronymus Lombardus e S. J. habitamque in lucem dedit. Plures post dies repente prodiit altera Jacobi Facciolati apud eumdem bibliopolam. Hæc statim conquiri ab omnibus, illa posthaberi. De hoc ipso itaque Jesuiticam orationem conquerentem inducit auctor; ambasque describit garrientes invicem rixantesque muliercularum more. Legitimam porro appellat, quæ habita fuit; Spuriam, quæ neque habita fuit, & intempestive prodiit.

DIALOGUS I.

Lucubratio Legitima, & Spuria.

Legitima.

O *He tu insolescis præter æquum fasque, importuna mulier. Recede de medio. Quid te te mihi obtrudis universam, ut neque videre possim, neque videri? Regnum ne sola hic tu possides?*

Sp.) *Si possiderem, non huc tu sane tulisses pedem. Quid tibi rei mecum est? Adeon' rixosa?*

Leg.) *Quid tu adeo propter urges obruisque*

que? Jam frui per te communi ceso non licet. Noſtin' quæ ſim?

Sp.) Quaſi vero non ego vos toties exceperim villula mea ſuburbana (1) *ad ſympoſium.*

Leg.) De ſympoſio viderint, quibus id olim contigit. Jamdiu enim, ut audio, ſympoſium cum villa periit. At hoc nihil ad rem. Illud miror, quì huc irrepſeris non vocata.

Sp.) Tui cauſſa latebo ſcilicet Reverentiæ er-

(1) *Solebat Facciolatus quotannis ſtato die Jeſuitas aliquot convivas ſibi adducere ad ſuburbanam quamdam villulam, quam conduxerat ad delicias. Sed hic jamdiu mos obſolevit, villula abdicata.*

ergo. Non tanti mihi es, bona mulier. Ceterum quando is, qui tibi, ille ipse mihi loci hujus copiam fecit, possum, opinor, sive vocata sive non, uti libere jure meo. Neque sane intelligo, cur meam tam ægre præsentiam feras. Numquidnam, misella, in me, quod nolis, vides?

Leg.) Te, tuamque petulantiam, qua nos subvertere conaris omnes, nostrosque ad te abstrahere familiares.

Sp.) Facile tu, credo, modesta es, quæ unde amicos allicias, nihil habes.

Leg.)

Leg.) *Sane quia vero eximiis tu præstas dotibus.*

Sp.) *At placeo.*

Leg.) *Rudibus scilicet ignarisque pueris, qui offuciis facile ac lenociniis capiuntur. Vide quantum phalerarum ac flosculorum!*

Sp.) *Incomta ergo hirta squallida tuo exemplo prodibit matrona palam.*

Leg.) *Extrema, ut soles, urges. Matronam decet ornatus decens: cerussa, purpurissum, cincinni (venia sit verbo) meretriculas.*

Sp.)

Sp.) Hem vulpecula. Damnas nimirum quæ assequi non potes.

Leg.) Isthæc ego neque habeo neque curo. At hæc latera, hos humeros, hæc bracchia, quæque latent meliora, tu pol non ostentabis, opinor.

Sp) Pugilem ea, non mulierem decent elegantem.

Leg.) Gracilitas vero crurum, macies totius corporis, succique ac soliditatis vastitas decebunt, credo, manes insepultos, aut arida Ægyptiorum cadavera. Phui, mirum ni sto-

ma-

machantur prætereuntes.

Sp.) *Stomachantur adeo ſcilicet, ut nemo plane unus ad me adſpiciat, quin congredi continuo mecum appetat: cum longum tu interim hic otium agas neglecta, derelicta, ſola. Adeoque miror, quod colum tecum non attuleris, qui tædium minuas ſolitudinis.*

Leg.) *Ad colum fortaſſe ego, tu vero ad nuces profecto redis, quæ nihil umquam niſi nugaris, & vana garriendo perſequeris. Ubi enim de ornatu,*

de

de cincinnis fucoque agitur, cicala es loquacior æstiva: cum ad decorum ad gravitatem majestatemque personæ ventum est, piscibus ipsis taciturnior.

Sp.) Tu seria videlicet ages, ego ludicra, tu graviora, leviora ego, tu genuina, ego fucata persequar. Quid tamen inde? Illud nimirum, te quidem vel nullos, vel perpaucos habituram semper amatores: pauci enim, crede, severitatem istiusmodi tuam gravitatemque amant; me vero procorum stipari assidue corona, ut vix facere

re ſingulis poſſim ſatis.

Leg.) *Hactenus, credo, iſthac uſa es felicitate. Poſthac vero, cum ad ſummum jam libertas tua pervenerit, ac petulantia, alius rerum, ſpero, vertetur ordo, riſuſque extrema occupabit triſtitia.*

Sp.) *Bono interim, præſens quod eſt, utar ipſa ingratiis tuis: tu ſpera, in poſterum quod eveniet.*

Leg) *Nimium jam proterva es: adeo me protrudere pergis, & proculcare. Satius eſt hinc abire.*

Sp.)

Sp.) Satius vero multo, si prius.

Ad Dialogum II.

Præfatiuncula.

QUod sibi de amoribus accidisse narrat Anacreon, ut alii ex aliis subinde erumperent, clamorque suo in corde perpetuus fieret pipientium amorculorum, idem mihi propemodum de Dialogis usuvenit amoribus meis. Ex interposita hinc inde mora, ne ora-

oratio typis traderetur, natus primus est. Cum nova postea obiecta essent impedimenta, alter itidem exiliit Dialogus, tum alter & alter, sextus denique. Quid facerem? Suffocarem infantulos? Impium. Educti ergo humaniter altique succreverunt. Tum alas jam explicantes libertate donavi. Aucupii artem qui noverit, liberum cuique est suos facere.

Argumentum.

C*Um nonnulla in funebri oratione*

a Jacobo Facciolato liberius quam par est dicerentur, placuit supremis rerum Venetarum moderatoribus omnia orationis ejusdem exemplaria de medio tollere, ac luce prorsus interdicere. Id scilicet innuit auctor sequenti dialogo; fingitque Minervam, quæ scientiarum parens a poetis dicitur, ad inferos conjicientem in exilium lucubrationem ipsam, quod lucem injussa subierit.

DIA-

DIALOGUS II.

Pallas, Lucubratio, Prælum, Mercurius.

Pallas.

AT tu, putidula, quì foras erupisti? Eo ne confidentiæ? Quid nisi secreta inclusam cellula monasticam jubebam vitam agere? Quid nisi obdebam pessulum, seraque fores occludebam? Etiam ne elabi? Age, fare; quid terram despicis obstipo capite?

(*Lucubr.*) *Ego ne, mater, aut ausa quid fuerim, aut ausim umquam de*

meo consilio te invita? Sed tale mihi quippiam accidit nec opinanti, quod etiamnum horreo commemorando.

(*Pal.*) *Quid isthuc est? Commenta opinor scilicet, atque ambages, ut soles.*

(*Lucubr.*) *Male, ut video, Parens dulcissima, apud te audio; quando* per annos admodum sexdecim (1) nihil aliud quæsivi, quam veritatem quolibet sive fuco, sive ornamento spoliatam.

(*Pal.*)

(1) *Vide prologum præcedentis orationis.*

(*Pal.*) *Non hoc nunc quæro, quid tu vel quæsieris, vel inveneris: illud scire de te volo, cur prodieris, cum latere debueris?*

(*Lucubr.*) *Dicam, si te mitiorem præbeas, Mater.*

(*Pal.*) *Eja placata sum, eloquere.*

(*Lucubr.*) *Nam sustinere matris ægre possum iratum vultum.*

(*Pal.*) *An nondum etiam? jam bilem rursum moves.*

(*Lucubr.*) *Audi nunc jam. Secreto jamdiu in recessu delitescens otio-*

ſiſſime quietem agebam, ut umbratile genus vitæ ne cum Aulica quidem luce commutaſſem.

(*Pal.*) *Id jam ſcio.*

(*Lucubr.*) *Commemoro nempe beneficium tuum. Jam vero plurium ibi ſororcularum fruebar conſortio, nugabamurque nos inter nos feſtiviſſime: videbamur prope ſtatariam agere; adeo diverſam ſingulæ perſonam ſuſtinebamus. Hæc quidem toga ſumta Oratorem* (1) *agebat, Dii boni,*

(1) *Libellus, cujus titulus* De optimis Studiis Orationes X. Jacobi Facciolati, *&c.*

ni, quàm ridicule. Illa pallio induta (2) *philosophabatur cum Aristotele Aristotelice omnino. Alia censoria virga expedita de Latinis vocabulis* (3) *cum Gallo garribat critice. Ad gravitatem alia pædagogi in morem composita dictabat* (4) *monita prorsus Isocratea. Alia sermone Etrusco* (5) *balbutiens politiam docebat adolescentes interrogando aniliter. Erant porro*

(2) *Logicæ rudimenta ejusdem.*

(3) Jacobi Faccioiati *animadversiones criticæ in primam litteram latini* Lexici *&c.* Petri Danetii *&c.*

(4) Monita Isocratea Jacobi Facciol.

(5) Il Giovane Cittadino istruito nella scienza civile.

quædam (6) *incomptæ adhuc, hirtæ, ſqualliḍæ dolentes miſere, quod quæ opus erant ad partes ſuas nondum eſſent allata; volebant ſcilicet Hiſtoricum agere.*

(*Pal.*) *At iſthæc ego minime curo. Vin' tu tandem quod quæro reſpondere?*

(*Lucubr.*) *Quin modo audies. Placuit enim rem ordine univerſam enarrare, ut vel inde ſuſpicio tibi quævis mini-*

ma

---

(6) *Adverſaria MS. de Gymnaſii Patavini hiſtoria, quam perſequi Facciolatus juſſus publice eſt, poſtquam pub. Profeſſoris titulum munuſque depoſuit.*

ma de mea fide tollatur. Cum itaque congressu tam lepido lacrimas nonnihil doloremque ex casu repentino susceptum recrearem, en subito, ubi divertebamus, claustri fores crepuerunt. De te nimirum statim cogitavi, quæ tuas revisères gnatas, meque tibi advenienti componebam. Occurro itaque lætabunda. At o malorum depulsor Hercules, quid monstri obvium video? Deformem fædam terrificam anum baculo innixam, quem spinea tortum (7) Vin-

(7) Ovid. *Metamorph. l. 2. f. 12.*

Vincula cingebant : ———————

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto ;
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.

Tum ego timore perculsa quærebam scilicet latibula. At illa protenso baculo minata accedit, manum arripit, vi invitam educit, meque turpi cuidam ac fuliginoso ante fores opperienti tradit, nomine, ut ex ipsa audivi, Prælo. Hoc de me quæstum facere cœpit, circumquaque ductare, ostentare omnibus, hic me tandem

dem

dem, ut vides, prostituere. Atque adeo ipsum, si mavis, audi; intus est in taberna.

(*Pal.*) *Heus tu, Prælum, ades dum, paucis te volo.*

(*Præl.*) *Eccum me tibi.*

(*Pal.*) *Noris nos?*

(*Præl.*) *Omnium maxime, verenda Pallas, quæ tam multas nobis despondes gnatas tuas dote dapsili.*

(*Pal.*) *Hancce vero, observa, quis tibi despondit?*

(*Præl.*) *Dicam. Anus est, quæ sæpe*

huc

huc ad nos revertitur modo unam modo alteram adducens natam. Quoniam mihi ex iis lucrum paro, nihil quæro porro, quis adduxerit, quali ſint prognatæ genere, quibuſve moribus; modo facie ſpecioſa, ſat habeo. Ea itaque anus ipſa hanc ipſam nuper ad me attulit, quam proſtare hìc juſſi.

(*Pal.*) *O rerum omnium ſordidiſſimum, quod modo non Vulcano comburendum trado teque, vetulamque ſceleſtiſſimam, quæ univerſam mihi*

tur-

turbat remp., halituque inficit virulento; cujus quidem tectis caliginosis (sat enim & veneficam mulierem novi, & ejusdem latibulum) succedere si mihi fas esset...

(*Mercu.*) *An Tritoniam hic ad Bibliothecam video? ipsa est: nescio quid irascitur: accedam. Quid hic rixarum, Pallas? etiamne in pace bella cies?*

(*Pal.*) *Tempori advenis, Cyllenie optime; paullulum da mihi operæ, nisi festinas alio.*

(*Mer.*)

(Merc.) Quin otium est, ubi jam tabernas hasce omnes, ut soleo, revisi, pactumque a fœneratoribus vectigal exegi.

(Pal.) Mercedem scilicet furini magisterii tui.

(Mercur.) Nempe; sed quæso ne palam feceris.

(Pal.) Potes dormire in aurem utramque.

(Merc.) Quid ergo est, quod tibi mea ars possit hic efficere?

(Pal.) Hem huc respice, nostin' hanc?

(Mer.)

(*Mer.*) *Probe; cui nimirum meis ipſe manibus calvariam Tullii ad exemplar ſuſtineo eminus libratus pennis, ut prope jam diuturna opera defeſſus ſim.* (8) *Et oris quidem Tulliani delineamenta expreſſit ſtilo plurimum; Ceterum coloris veri, ſucci, ſanguinis, ſoliditatis nihil.*

(*Pal.*) *Id vero minus curat demens. Huic itaque ipſi edixeram ego, ne non*

vo-

(8) *In Libello* De optimis Studiis Orationes X. *e regione tituli exſtat imaguncula quædam affabre inciſa idipſum repræſentans.*

vocata prodiret umquam. Prodiit petulans, atque adeo phalerata fucoque illita en proſtat Prælo impuriſſimo lenocinante. Quid merita eſt?

(*Lucubr.*) *Per ego te hanc dexteram metuendam, quam deoſculor, Mater, rogo, ne quidquam ſtatuas in me ſupplicii: incogitans deliqui: anus...*

(*Pal.*) *Anus poterat refelli facile a validiore; quæ vim præſertim niſi volenti non facit. Novi ego ſatis ingenium veſtrum, & prurientem in laudatores procoſque libi-*

dinem

dinem. Age, Mercurj, (id enim te volebam) rape hanc, tolle quantum potes, aufer; cumque nocte ingruente ad inferos descendes, & defunctorum animas, quod est (9) *nocturnum officium tuum, ad Plutonem deduces, trajecto Acheronte Lethæis ter undis pronam demerge; tum in prato solam relictam vagari sine cum manibus* (10) *mediocris vitæ;*

 ea

(9) *Lucian. t. 2. dial. Mercur. & Majæ:* τὸ ϛ πάντων δεινότατων ὅτι μηδὲ νυκτὸς καθεύδω μόνος τῶν ἄλλων, ἀλλὰ δεῖ με καὶ τότε τῷ Πλούτωνι ψυχαγωγεῖν, καὶ νεκροπομπὸν εἶναι.

(10)

ea lege atque omine, ut ne ad superos redeat in posterum, nisi pænitentia tandem ducta palinodiam propalam canat, teque adhibito præcone frequentiore in foro, in ipso meridie proclamet, se nonnisi muliebri philavtia compulsam excusso fidei pudorisque fræno prodiisse, ut amasios videlicet suos exciperet commodius, alienosque ad se tra-

(10) *Lucian. de Luctu.* οἱ δὲ τοῦ μέσου βίου, πολλοὶ ὄντες οὗτοι, ἐν τῷ λειμῶνι πλανῶνται ἄνευ τῶν σωμάτων, σκιαὶ γενόμεναι, καὶ ὑπὸ τῇ ἁφῇ, καθάπερ καπνὸς, ἀφανιζόμενοι.

traheret ſubductos verbis. Hac lege tantum redeat: ſecus æternum exulet. Id mihi, quod te rogo, Mercuri, perfice, ut ſoles, naviter.

(*Mercur.*) *Fiet, Pallas, adamuſſim. Age, elegans meretricula, ineamus viam; jam enim Sol ad occaſum vergit. Miſeret vero me tui, quam quidem nunc credo dolore verius, quam cum* acerbiſſimus (11) caſus communem calamitatem fletu & lamentatione proſequi te coegit.

(11) Vide *prologum præcedentis orationis.*

Ad Dialogum III.

Argumentum.

EXulantem apud inferos (ut ex di-
al. præc.) orationem funebrem de-
prehendi fingit auctor ab Umbra Alo-
ysii Pisani, simulque incusari, quod
in laudatione texenda turparit ve-
rius ejusdem nomen, quam ornarit.

DIALOGUS III.

Lucubratio ; & Umbra.

Umbra.

VIvam ne conspicor inter mor-
tuos Lucubrationem familia-
rem olim nostram? Rarum capil-
li-

litium, color ſubfuſcus, limi oculi, tota denique ea eſt. Triſtis vero admodum ac meditabunda neſcio quid ſcriptitat ripæ inſidens. Aggrediar. Heus tu, Lucubratio, norin' nos?

Luc.) *Pro ſuperi, atque inferi! Te ne, Dux & caput Venetiarum intueor, Aloyſi?* Ita ne (1) repente quaſi Romulus alter ex oculis ſpectantium ſublatus es, *ut neque* haurire (2) oculis aviditate ultima vultum tuum licuerit, neque ſupremum vale dicere, noſque ti-

(1) Vide *prologum orationis.*
(2) Vide *ejusdem finem.*

tibi ac noſtra commendare? *Liceat nunc ſaltem paludamentum iſthuc Regium deoſculari.*

Um.) *Caveſis, ne tangas: ſcinditur continuo totum. Veſtes enim, quibus hic utimur, tenuiſſimæ ſunt aranearum* (3) *telæ.*

Luc.) *Miram ſane rerum mutationem narras. Nihil ne igitur tecum pretioſæ illius ſupellectilis huc attuliſti, qua inter vivos tam ſplendide utebaris? Non aurum, non gemmas, non purpuram, non ſceptrum, non cornu il-*

lud

(3) *Luc. ver. hiſt. l. 2. de Heroibus in Elyſiis ait:* ἐσθῆσι δὲ χρῶνται ἀραχνίοις λεπτοῖς πορφυροῖς.

lud tuum majeſtate adeo, fenoque (4) *verendum?*

Um.) *Iſthæc mecum quidem attuleram. Sed ubi ad ſcalas Acherontis deveni, ea me juſſit Mercurius abiicere omnia Charontis nempe meticuloſi conſilio, qui cum carioſam admodum* (5) *rimiſque dehiſcentem naviculam haberet, timebat ne pondere inclinata ſubmergeretur, periremque ego nandi imperitus, ignorans ſcilicet, eſſe me Venetum. Nu-*

(4) *Extat epigramma quoddam Italicum J. Facciolati, in quo de Veneta Rep. ait:* Ha corno anch' eſſa, ed ha ſul corno il fieno. *Huc refertur illud* fenoque.

(5) Vide *Lucian. t. 1. dial. Char. & Mercurii.*

Nudus itaque cymbam ingressus sum. Ceterum hæc, quæ vides ornamenta spiritu ipso diflantur. Nihil enim hic aut onerosum aut supervacaneum locum habet. Tu vero qui tandem demigrare huc potuisti vivens adhuc corporeisque sarcinis onusta? Id quidem perpaucis olim, ut hic audivi, contigit, iisque Heroibus.

Luc.) *Ne sponte me putes huc delapsam, serenissime Princeps, sed invitam prorsus, raptamque vi ab isthoc manium ductore ac pædagogo.*

Vm.) *Mercurium ais?*

Luc.

Luc.) *Eum nempe. Sed & ipse alieno id jussu egit ac prope invitus. Meus enim cæteroquin amicus est ac familiaris.*

Um.) *Id mirabar scilicet. Novi siquidem te ab ipso argutandi artem fallendique didicisse. Quis ergo ad id eum impulit?*

Luc.) *Pudet dicere: dicam tamen tibi præsertim, qui probe calles ingenium meum, & soles omnia ex æquitate judicare. Cum mea me mater Pallas jussisset inclusam domi delitescere, evasi ego clanculum, anicula quadam*

fa-

familiari mea mihi fores aperiente. Ea itaque ſubirata Cyllenio me tradidit haſce in oras aſportandam.

Um.) *Antiquum nempe id obtines, ut libertatem ames, neque poſſis clauſtris ullis contineri.*

Luc.) *Numquam tamen* latendi (6) conſilium depoſuiſſem, *niſi obitus tui* acerbiſſimus caſus, qui nec opinato civitatem perculit & afflixit, me quoque excitaſſet, communemque calamitatem fletu & lamentatione proſequi *coegiſſet.*

Um.)

(6) *Vide initium Orationis.*

Um.) *At nihil iſthac opus erat lamentatione tua, cum ſatis jam deploratus plures ante dies fuiſſem in funere mihi ſplendide celebrato.*

Luc.) Præficarum more (7) *ſcilicet* ad vanam quamdam doloris ſpeciem.

Um.) *Ego vero eam ipſam lucubrationem* (8) *audii libentiſſime, quæ tam multa ad famam mei nominis ſempiternam ſerio graviterque diſſeruit.*

Luc.) *Audiſti?*

Um.) *Audii, inquam: quid ni?*

Luc.)

(7) *Vide prologum eumdem.*
(8) *Orationem H. Lombardi.*

Luc.) *Ingens putabam, quod inter vos, nosque situm est intervallum, vanas reddere querelas nostras, ne ad aures vestras pertingant.*

Um.) *Putabas falso. Quo enim jactentur illæ, nisi ad nos perveniant? Amentis esset surdis obstrepere.*

Luc.) *Ergo me audieris etiam, quo pacto tuum funus dicendo ornarem*, concionemque ipsam (9) veri doloris explicatione commoverem.

Um.) *Deliras misera. Quod enim tandem*

tu

(9) *Vide prologum.*

tu ornasti funus, aut quam concionem commovisti? Audii vero amicos quosdam meos tua verba palam repetentes. Atque utinam audire non licuisset: adeo mihi convicio illo tuo beatissimum, quo hic fruor, otium conturbasti.

Luc.) *Ego ne, Vir amplissime, quæ omnes industriæ nervos contendi, ut* tua forma (10) & imago veris coloribus expressa, late propagata, cognosceretur, atque exstaret?

Um.) *Quid enim aliud tota illa narrati-un-*

(10) *Vide epist. Typographi Albritii ad Lectorem.*

uncula confecisti, quam me in invidiam rapere, & in suspicionem tantum non impietatis conjicere?

Luc.) *Miror vero, qui hæc dicas; cum fontes omnes exornativi generis per annum ut minimum integrum ad eum unice finem investigarim, atque adeo exhauserim: præsertim cum fateantur omnes, me dicendi arte sin minus superare, proxime certe adæquare Tullium ipsum.*

Um.) *Præclaram sane artem, qua me sumtuosum modo, modo factiosum, nunc va-*

vanum, tum nugacem, inſcitum tandem facis, & ad recte (11) de litteris judicandum *non plus quam* natura ipſa rerumque uſu (*brutorum more ſcilicet*) idoneum. *Virtutum vero, quæ probum, quæ pium, quæ Principem virum decent, ac heroa beatorum ſedibus reponendum, unum vix aut alterum verbum, illudque obiter.*

Luc.) *At ego idipſum conſulto feci, ut ea de te commemorarem, quæ noſtris hiſce temporibus in pretio habentur unice ac ſuſpiciuntur, animique bona præ-*

(11) *Vide orationem.*

præcipua judicantur, divitiæ nimirum, opes, favor, ſumtus, acclamationes, ludi, ſpectacula, pompæ. Cætera enim, quæ ad pietatem, ad religionem, ad res divinas pertinent, reſervanda ſatius duxi ubi de aliqua pia muliercula, non de principe viro inſtituenda eſſet funebris laudatio.

Um.) Præclare itaque mecum actum, quod repente ſublata de medio fueris, atatque huc detruſa. Qui enim de me ignari te audiſſent non me in feliciſſimas receptum inſulas, ſed impiorum

in

in carceres conjectum facile judicassent aut siti enecandum, aut rota circumagendum, aut arrodendum vulturibus.

Luc.) *Vah quantum periculi turbæque insciens pene excitavi? Quod te per aureum illud cornu tuum, quod vivens gestabas, obsecro, siquid in te minus ex dignitate locuta sum, id ut ignorantiæ tribuas meæ, non voluntati. Cum autem non alia mihi conditione redire ad superos datum sit, nisi prius palinodiam palam recantan-*

dam perfecero (cui quidem modo navabam operam isthic assidens) eam ita concinnabo, ut in integrum restituatur tuæ pietatis, religionis, cæterarumque virtutum opinio, neque vel minima apud posteros, qui te non norint, de moribus tuis integerrimis sanctissimisque relinquatur suspicio.

Um.) *Facis nempe ut decet, eaque te conditione meam rursum in clientelam tutelamque recipio. Eja perge naviter opellam tuam.*

Luc.) *Faciendum vel invito.*

Dia-

Argumentum.

QUod ſuperius ad Dial. I. dictum fuit, varias huic orationi interjectas fuiſſe moras, ne palam ederetur, idipſum innuitur ſequenti Dialogo ſub Charontis imagine, qui lucubrationem ipſam repellit a cymba vectoria conantem ad Superos trajicere.

DIALOGUS IV.

Charon, & Lucubratio.

Charon.

REcede recede, inquam, ſceleſta. Næ tibi illiſo conto diminuam

caput, si vel uno cymbam intraris pede. Nam hercle etiam hoc restat, ut manes ultro citroque ad solatium reveham prout libitum ipsis fuerit. Atque etiamnum accedis? Apage, inquam audax.

Luc.) *Quasi vero hæc una pateat redeundi ad superos via.*

Char.) *O scitam Tartarographam, quæ vias hinc exeundi plures nosti. Undenam amabo hujusmodi topographiæ scientiam arripuisti?*

Luc.) *Unde, ais? Ab Ænea. Meministi-*

enim

enim, opinor, ingentis illius viri, quem cum accepisses alveo, (1) gemuit sub pondere cymba Sutilis, & multam accepit rimosa paludem. *Ille quidem per somniorum* (2) *portam eburneam ad orientem elapsus postea hinc est, neque ultra opus habuit te vectore. Eadem, spero, & mihi patebit porta.*

Char.) *Callide admodum. At relaxa tantisper vestem.*

Luc.) *Quam ob rem?*

Char.) *Ut videam scilicet, num condas tu*

(1) *Virg. Æn. l. 6. v.* 412.
(2) *Ibid. v.* 893.

quoque ramum (3) *aureum illum* longo post tempore visum, *qui unus Æneæ faciles huc aditus abitusque patefecit.*

Luc.) *Ego vero neque ramum ullum adfero, neque Sybillas habui, quæ mihi* auricomos (4) fœtus *commonstrarent.*

Char.) *Ergo ne per somnium quidem emigrabis. Sed qua libet cumque tamen emigra, dummodo hinc abeas. Nolo ego tua caussa ab Æaco plagas ferre. Age, Mercuri, remove tu,* *abi-*

(3) *Virg. ibid. v.* 409.
(4) *Ibid. v.* 141.

abige, propelle hinc longe prævalida virga tua audacem illam, quæ ambabus manibus velut unco impacto moratur cymbam: ego interim solvam funem.

Mer.) *Mane, Charon, dum propius videam, quænam ea mulier sit: neque enim præ nocturnis tenebris satis cerno. At at nunc video. Religa, Charon, pauxillum funem. Vix te tandem internovi, extorris lucubratio: adeo pinguior multo habitiorque redis ex quo exulas.*

Quid huc prorepsisti? Tædet ne jam exilii?

Luc.) O (5) Mercuri facunde nepos Atlantis,
= Qui pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam superis Deorum
Gratus, & imis,

(tuas enim libenter nunc poeticas laudes usurpo, quamvis geram cum poetis inimicitias) per siquid tibi aut est, aut fuit usquam carissimum, hisce me tenebris educ tandem, lucique restitue. Jus enim & tibi in isthuc navigium est, meque potes vel invito Charonte excipere.

Mer.)

(5) *Hor. I. od.* 10.

Mer.) *Nihil erit in me quidem moræ. Misereor enim tui, quam mea tamdiu in palæstra habui.*

Char.) *Quid ais, Mercuri? Tu ne etiam novas mihi molestias paras? Jam ne tamdiu quidem posthac vacabit ratis, donec ad scalas (quod unum mihi restabat otium) redeo. Erit, ut video, pandendum tunc etiam velum, remo adnitendum, anhelandum, desudandum, ut novæ scilicet Alcestes, aut Eurydices ad superos revehantur. Quod adeo miror, adamantinas tam*

fa-

facile infringi leges, quibus vetitum redire quemquam.

Mer.) *Bona verba, Charon. Hoc enim aliud quiddam est, ac tu opinaris Neque enim huc illa sicuti manes cæteri delata est; neque tu, si memoriam excutias, tuo illam antehac devexisti navigio.*

Char.) *Anne furtim natando transfretavit, ne naulum solveret? Redde ergo, redde, inquam, dolosa, naulum.*

Mer) *Non isthuc, Charon: me vide. Ego illam sublatam humeris decimus hic*

men-

menſis eſt, ex quo in pratum illud proximum tranſvolando detuli.

Char.) *Ridiculum ſane trajectionis genus.*

Mer.) *Sic opus erat, quoniam Palladi parendum fuit.*

Char.) *Palladi? An regnat hic etiam Pallas?*

Mer.) *Non regnat illa quidem; ſed qui regnat Pluto nonnulla facile connivet nepti, quæ præſertim mortales nunc tam multos* (6) *ad eum demittit.*

Char.) *Quid ergo nunc regreditur?*

Mer.) *Redeundi ad ſuperos optio facta illi ab ipſa Pallade fuit, ſiquidem penſum neſ-*

(6) *Bella innuit hiſce temporibus graſſantia.*

neſcio quid abſolviſſet. Abſolvit, opinor, ideoque nunc utitur jure ſuo.

Char.) Scin' quid agas, Mercuri?

Mer.) Quid?

Char.) Tolle rurſus eam humeris, & transvola.

Mer.) Cur quæſo delaſſer volando, Charon, ubi inane navigium eſt?

Char.) At viden', ut ſuffarcinata eſt, quantumque crepundiorum ſecum adfert? Ratem mihi pol ſubvertet ſimul ac pedem intus poſuerit.

Mer.) Id vero ne timeas, lepidiſſime. Pluma

ma ipſa levior ea eſt, nihilque prorſus momenti habet.

Luc.) *At vos conſilia confertis invicem, me interim neglecta. Poſſum ne id tandem impetrare, ut conſcendam?*

Mer.) *Ea conditione, quam ſtatuit Pallas, potes. Meminiſti enim, ut arbitror.*

Luc.) *Et memini, & non alia huc mente adveni.*

Mer.) *Ubi palinodia eſt?*

Luc.) *Eccam ſub alas.*

Mer.) *Vide ſis, ne tibi excidat conſcendenti ratem. Age intra. Tu vero, Charon,*

ſol-

ſolve funem.

Char.) *Sic me amet Æacus, nihil vidi levius. Nihil ergo velis opus erit.*

Luc.) *Euge, portitor humaniſſime, adurge cymbam quantum potes, ut citato ad ripam feramur curſu.*

Char.) *An duplum ſolves naulum?*

Luc.) *Solvetur etiam quadruplum, dummodo quam citiſſime in lucem redeam.*

Char.) *Pandantur ergo etiam vela.*

Dialogi V.

Argumentum.

Se

SE ipsum fingit auctor sub Dialogi persona a Lucubratione in lucem redeunte, hoc est a Jacobo Facciolato acriter increpari, quod ejus menda detexerit: quas tamen criminationes refellit callide; eademque opera aliunde carpit increpantem. Tandem redintegrant amicitiam.

DIALOGUS V.

Lucubratio & Dialogus.

Lucubratio.

QUem scilicet mihi dari optabam maxime, eum primum omnium

um offendo Dialogum loquacem, garrulum, delatorem. Atque adeo ad me ridens accedit. Pro ingentem confidentiam!

Dial.) *Rursum ne inter vivos, bellula lucubratio?*

Luc.) *Rursum: tædet ne?*

Dial.) *Imo vero gratulor tibique, & amasiis tuis, qui quidem eo te fruentur avidius, quo ægrius caruerunt hactenus consuetudine tua: eaque de caussa, credo, tanto illis carior constabis; præsertim cum meliuscula ædepol*

pol nunc ſis, quam antea.

Luc.) *Non curo gratulationes tuas. De Amaſiis autem ipſa videro; a quibus quidem ſi vel talentum in vices ſingulas accepero, quid ad te?*

Dial.) *Nihil ſane. Sed quid me præter morem noſtramque amicitiam veterem oblique intueris; ac minanter alloqueris?*

Luc.) *Simulat vafer. Quid quæſo te attinebat deblaterare palam, quæ mihi a matre mea forte obtigerant, objurgationes, terrores, minas, exilium; me-*

amque culpam (si culpa est libertatem amare) in invidiam commemorando vocare, dicteriisque & scommatibus turpiorem facere? Tu ne hisce caussis præfectus, qui præconem agas?

Dial.) *Id vero quereris? Latebant ea scilicet me tacente. Nonne erant jam in ore omnium? Nonne clamabant omnes merito factum, mitiusque adeo, quam par esset, sumptum de te supplicium?*

Luc.) *Tanto ergo minus te debacchari necesse erat, quod per omnium ora, ut tute dicis, ferebatur.*

Dial.)

Dial.) *Non ea tamen fide ferebatur, ac veritate, quam tantopere uterque amamus. Ut enim in eo convenirent omnes, fuisse te de medio tollendam, non eamdem tamen omnes in te culpam statuebant, facto partium dissidio. Ego itaque acerrimus veritatis vindex rem omnem malui, sicuti gesta erat, palam facere, ut dubitatio qualibet tolleretur & animorum dissensio.*

Luc.) *Quid si ego isthuc ipsum mallebam opinionum dissidium, ut in re dubia lateret veritas?*

Dial.) *Id vero non præcaveram. Putabam enim, te loqui ex animo, cum te prædicabas tantopere* (1) fidem & pudorem retinere. *Sed, ut video, aliud ore præfers, aliud animo tegis.*

Luc.) *Apage cum suspicione isthac, dialoge dicacissime.*

Dial.) *Bona verba, quæso. Neque enim nostra idcirco rescindenda amicitia est, sed potius resarcienda.*

Luc.) *Nolo amicos Momos sycophanticos, qui ne Deos quidem a conviciis impune mittunt.*

Dial.)

(1) *Vide prologum orationis.*

Dial.) *Non ejusmodi me tamen hactenus, quod ego sciam, experta es.*

Luc.) *Tacere poteras.*

Dial.) *Consulere pro viribus tuæ caussæ studui.*

Luc.) *Nihil moror patrocinium tuum. Satis ego in tuto navigo, meumque jamdiu nomen impune regnat.*

Dial.) *Scio id quidem, vereri te omnes Romanæ eloquentiæ redemptricem. Scio & illud, Germanos dociliores homines te libentius audire in scholis declamantem Tullio ipso posthabito.*

Luc.) Illud vero nescis, quantopere me timeant omnes, si linguam semel exero, aut stylum arripio.

Dial) Jambos, opinor, hendecasyllabos, hexametros jacularis.

Luc.) Quid tu mihi poeticas nugas narras? Poetas libenter olim audiebam, primis nimirum annis, cum ratio, & consilium vigebat minus. Ubi vero cum ætate sapui, tum sensi nihil esse illis nugacius; ideoque poetas procul omnes eorumque artem amandavi.

Dial.) At at hoc illud est, quod siquando

poe-

poetam agis, agis ineptissime. Inimicitias videlicet cum poetis geris. Quid ergo eam tamen exerces identidem facultatem, quam odisti; & modo epigrammata, modo distycha crepas deridicula?

Luc.) *Quid hoc ad te?* Multa accidunt (2) in rerum humanarum cursu, quorum fructus jucundior est, si caussæ ignorentur.

Dial.) *Nihil ne vereris, ne te mortales irrideant personam a te prorsus alienam sustinentem?*

(2) *Vide epist. Typographi Albritii ad Lectorem.*

Luc.) *Insanis, dialoge. Quis id audeat? Sic enim habe. Nihil ego non aptum; sed siquid forte minus aptum nolenti excidit, idem tamen ipsum egregium passim habetur exemplar cuivis imitandum. Adeo nominis valet præjudicata semel opinio.*

Dial.) *Vah beatitatem inauditam! Piaculum ergo enorme fuerit te vel tantillum carpere.*

Luc.) *Et quidem nullo satis expiandum supplicio.*

Dial.) *At palinodiam, quam mox cecinisti,*

quem

quem putas exitum habituram? Cum enim tute ipſam inanem vanam nugacem inſcitam prorſus fateare, quilibet facile, quod tu facis, idem licere ſibi judicabit.

Luc.) *Mihi in me ipſi licet quidlibet; præter me vero, væ ſi quiſpiam.*

Dial.) *Papæ; tanto ergo magis mihi cavero, ſi ſapiam. Euge, blandiloqua lucubratio, per auream illam facundiam tuam mitiorem te mihi æquioremque præbeas. Me amicum, me famulum, me quovis nomine tuum, tuoque ſem-*

per

per lateri adhærentem habebis, atque adeo, si pateris, fraterculos etiam meos urbanissimos.

Luc.) *Ubinam ii sunt? Sine videam. Rident pol & ipsi.*

Dial.) *Ita facti sumus.*

Luc.) *Prolem sane numerosam!*

Dial.) *Sextus non longe abest; tardiusculus est.*

Luc.) *Sextus etiam?*

Dial.) *Tui honoris caussa prodiimus omnes; neque mecastor a tuo umquam latere discedemus.*

Luc.)

Luc.) *At quid me quid adeo circumſidetis pene obruentes? Age age ſequimini: famulitii loco mihi eritis.*

Dialogi VI.

Argumentum.

INducitur hoc dialogo Amaſii nomine amicus quiſpiam Facciolati, qui ad Bibliopolam accedens gaudet geſtitque de funebri ejuſdem oratione iterum in lucem edita, eamque pretio ſibi parat.

DIA-

DIALOGUS VI.

Amasius, Lucubratio, Prælum.

Amasius.

NÆ *bonis ego avibus hodie egressus domo sum, qui elegantissimam lucubratiunculam delicias meas jamdiu amissam reviso rursus atque amplector; atque adeo quanto nitidiorem, Dii boni, habitioremque corpore, quam antea! Salve jucundissima, lepidissima, argutissima puellula mea. Ubinam tamdiu delituisti, aut quid tandem tibi accidit,*

dit, ut ab oculis, a consuetudine usuque communi repente abripereris?

Luc.) *Mitte quæso jam blanditias ejusmodi, si me amas, & amatorias querelas. Tempus olim fuit, cum hæc decebant.* Nunc hic dies (1) aliam vitam adfert, alios mores postulat.

Am.) *Unde nam novum hoc adfers vitæ institutum?*

Luc.) *Ab inferis.*

Am.) *Papæ locum narras valde dissitum!*

Luc.) *Ibi scilicet exulavi hactenus; ac multos post errores laboresque, quales*

(1) *Ter. Andr. a.* 1. *sc.* 2.

les Itacenſis ille paſſus non eſt, vix tandem nunc in lucem redeo. Tædet itaque jam præteritarum ineptiarum meo ſatis impendio doctam ſapere.

Am.) Utcumque res acciderit, (nolo enim, te commemorando infandum renovare dolorem) *nihilo te tamen minus amo, eoque ardentius tuo rurſum geſtio congreſſu perfrui, quo diutius carui. At quid iſte novus dialogorum comitatus?*

Luc.) Eos forte inter vias, dum redirem, offendi: comites ſe ſe mihi adjunxerunt,

runt,

runt, atque ita demum agglutinarunt, ut liberum jam mihi non ſit eos dimittere. Quoniam vero lepidiſſimi ſunt, eos facile patior, quo acerbam ſcilicet obliterem præteritarum ægritudinum recordationem.

Am.) *Macte ergo, ſtrenua lucubratio: non omnibus tandem iratis Diis uteris; amicos eos certe habes, qui tam opportunum tibi præſenſque levamen obtulere. Et dialogos ergo tecum adduces, quando velis apud me diverſari.*

Luc.) *Hos quidem a me numquam sejungere certum est. Ceterum quod ad me attinet, rationem ineas cum lenone; nihil erit in me moræ.*

Am.) *Prælum igitur aggrediar.*

Præl.) *En adsum.*

Am.) *Agedum conveniamus paucis: quanti licet hanc abducere?*

Præl.) *Vides, opinor, cujusmodi ea sit. Nihil hic fucatum, simulatum nihil: mera soliditas tota, succus, sapor. Dispeream, si lautiorem antehac umquam gustasti bolum.*

Am.)

Am.) *Placet, non nego, aſpectus admodum.*

Præl.) *Neque enim ſicuti Veneto illi collegæ meo* ſive ipſa (2) merito ſuo, ſive alia de cauſſa probetur, mihi perinde eſt. *Non adeo ego turpiter lucello inhio. Merito ſuo volo probetur.*

Am.) *Tanto ergo conveniet inter nos facilius. At in præſentia, ut ſcias, non habeo, qui pretium ſolvam. Si fides eſt, non fraudabo. Neque vero nunc primum advenio huc peregre.*

Præl.) *Id nimirum aſſolent nunc emptores plerumque omnes: merces auferunt*

in

(2) *Vide ep. Typographi Veneti ad Lectorem.*

in præſentia; ſolvetur autem in poſterum. Nihilominus tecum quidem utpote amico & familiari noſtro de meo jure concedam paullulum. Utere igitur pro arbitrio. Ceterum cum ſolutum veneris conciliabitur pretium.

Am.) *Eamus ergo, venuſtiſſima lucubratio.*

Luc.) *Vos vero, Dialogi, ad latera mihi adſiſtite omnes.*

FINIS.



